



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Lucia V. & M. 13. Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

avari animum nullis precibus expugnare civis indigens posset; SPIRIDION huic disertis verbis in crastinum annonam spondit. Neque aliter factum quàm dictum. Aquarum alluvio auctum ex Euclionis granario frumentum ad ipsas inopis ædes detulit, nullo nec rei nec vecturæ pretio. In fures etiam non minùs beneficus quàm comis fuit. Nempe cum gregem hi direpturi advenissent, & arcana Numinis vis ligatos omnes SPIRIDIONI tradidisset, exsolvit hic officiosus, & viæ comitem abeuntibus ultrò ambulare arietē jussit. Porrò filiam, quam, dum olim in matrimonio ageret, sustulit, ut defuncta depositum aurum indicaret, tantisper è tumulo evocavit. Sed & alium morte sublatum vitæ & matri reddidit, mox matrem filio etiam, cum hæc gaudio emortua esset. Ultimùm cum in messe occupatum æstus gravior affligeret, ros cælo illapsus recreavit, simul alii capilli albescere, nigrescere alii, alii denique canescere visi sunt. Hos ille ut mortis prodromos accepit, post quam illum laudibus omnis ætatis homines mactaturi essent. Tu etiam disce hîc non senes modò, sed & juvenes, quin vix natos capillos emori. *Ex Surio.*

*Totum quod es, illi debes, à quo totum habes; illi præcipuè Domino, qui & te fecit, & benefecit tibi. Huic totis medullis, totis viribus serviendum: ne fortè indignationis oculo te respiciat & despiciat, & conterat in æternum. S. Bern. de Quadrupl. debito.*

S. LUCIA V. & M. 13. Decembris.

**S**I virgo è cælo fidus lucet, LUCIAM esse credidero virginitatis laude præ aliis illustrem. Hæc dum cum matre ægrâ ad tumbam D. Agathæ  
preca-

precatur, adest ecce hæc ipsa sanitatis primò nuntium matri ferens, tum LVCIAE mortis optatissimæ & pro Christo subeundæ. Sic igitur moritura LVCIA omnium primò testamentum cogitat, & pauperes non jam scribit, sed facit heredes. Id enim verò non ferendum ratus LVCIAE sponsus, queritur apud iudicem, & sponsæ dotem sibi clamat deberi; hinc demum agnoscit in amoribus non se, sed Christum esse. Mox igitur amoris ira successit. Dei nuptia lenonibus traditur, mancipiis amoris prostituenda. Sed nequeunt mille manus unam virgunculâ, nequeunt funes & plura bouum juga de loco, minus de proposito casto dimovere. Ergo sarmenta congeruntur, rogos accenditur. Sed lucet pulchrius ignibus suis LVCIA. Gladio trajicitur; sed vivit virgo & viros animat, & è flammis Imperatoribus mortem, Syracusanis præsentem opem, Ecclesiæ pacem vaticinatur. Denique dum iudex in vinculis Romam abducitur capitis damnandus, divino cibo recreata, cælo fidus, ut dixi, inferitur. Sed & tibi illuc adhuc locus est Mariane. Stella & tu es, si virgo es. Fuiisti? Ah! stellam cælo credas decidisse. *Ex Surio.*

*Deus semper pater est; amavit nos fœdos, ut ex fœdis faceret pulchros. Erimus pulchri eum amando, qui pulcher est. Quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo; quia ipsa charitas anima est pulchritudo.*  
S. Aug. Tract. 9. in Epist. S. Joan.

S. JODOCUS CONF. 13. Decembris.

**N**OVAM litem audite Mariani, quam JODOCVS Angliæ regis filius germano fratri de regno movit, non uter hoc eriperet, sed uter cederet alteri. Fugiebant novo more non opes